


enburg

1871







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12





*V. Hoerion de iure maiestatis imperat. P. S.*

755 23  
1671, 17a

AUXILIANTE SUMMO REGUM REGE  
ATQUE DOMINO DOMINANTIAM,  
DE  
JURE MAJESTATICO  
IMPERATORIS ROMANO-  
GERMANICI,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Amplissimi, Nobilissimi & Consultissimi*

DOMINI

GERARDI von Stöcken / J. V. D.

atque Instit. Imperial. Professoris celebratissimi, Domini  
Præceptoris & Fautoris omni honoris & observantiæ  
cultu semper nominandi,

PUBLICE

Die 25. Febr. Hora locoque solitis  
*disputaturus est*

HENRICVS GEORGIVS von Hatten/  
A. & R.

ARGENTORATI,

Literis JOH. WILHELMI TIDEMANNI,  
ANNO M DC LXXI.





*ILLUSTRI, GENEROSISSIMO  
ATQUE EXCELLENTISSIMO,*

DOMINO

JOHANNI ADOLPHO  
KILMANNNO à KIL-  
MANS-ECKE,

HÆREDITARIO IN SATROPHOLM ET  
OBDORFF, CANONICI, QVOD HAM-  
BURGI EST, COLLEGII PRÆPOSITO, PRÆFECTO  
IN REINBECK, TRITTOV ET MOORKIRCHEN,  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

CIMBRIÆ DVCIS AC DOMINI,  
DOMINI

CHRISTIANI ALBERTI  
CAMERALIVM RATIONVM ET SAN-  
CTIORVM CONSILIORVM  
PRÆSIDI,

*MECOENATI SUO MAXIMO,*

*Vitam atque Gloriam!*



✱✱✱  
✱✱✱

Magnus ille Macedo Ale-  
xander, cum legisset ali-  
quando versus Homeri, quibus  
Hector suadebat, ut novem ex  
Ducibus, singulis ultrò se pugnae  
offerentibus, unus sorte deligere-  
tur, atque insuper miles Jovem  
precaretur, ut vel Aiacem, vel  
Tydei Filium aut Agamemno-  
nem sortiri pateretur: dixisse fer-  
tur, occiderem illum, qui me ter-  
tium nominasset. Nescio sane,  
Vir illustris, quo vultu CHRI-  
STIANUS ALBERTUS Tuus, Prin-  
ceps serenissimus atque Domi-  
nus clementissimus, excepturus

A 2 quo-



lum Eius atque Dextram, ausus  
fuerit Ipsi vocare Tertium, imo  
Secundum? Tantæ sunt equidem  
virtutes Tuæ, tanta Tua sunt me-  
rita, ut eorundem lumine, non  
Ipse tantum, sed omnis Cimbria,  
imo universus Orbis coruscare  
possit: audiant hoc & exaudiant

*& Nati Natorum & qui nascentur ab illis;*  
audiat ventura posteritas, at-  
que in æternitatis referat anna-  
les, Neminem esse hominum  
ad quem penetrarunt Kilman-  
nianæ Famæ cognomina, quæ  
tum rerum gestarum tribuit  
gloria, tum Fortunæ conces-  
sit Munificentia, & adhuc am-  
plius cœlestis meditatur Favor;  
qui



tus obstupescat. Quid mirum,  
Mecoenas maxime, si & mea  
Exilitas, omnia de Te summa  
atque divina concipiat; Tuamq;  
Triumphantis Famæ Æternita-  
tem mente manuque supplex  
adoret? Quid mirum, si chartas  
hæce, primum quem mihi Musa  
peperit Academica foetum, ad  
illustris Tui Nominis aram, eâ,  
quâ par est, humilitate venera-  
bundus deponam? Heraclitus  
olim summam laudis esse puta-  
bat uni placere, si esset optimus,  
qui probaret: fane nec ego ma-  
iorem exopto honorem, quam  
ut excelso Tuo applausu confi-  
denter niti possim. Quemad-

A ; mo-



spergit in loca etiam opaca atque  
scabra; ita si & Tu, Vir illustris,  
hæc mea Tyrocinii rudimen-  
ta fulgentissimo Nominis Tui  
splendore collustrare, non ægrè  
tuleris; facturus es, ut cæteris im-  
mortalibus maximisq; in HAT-  
TORUM Familiam collatis be-  
neficiis hic accessurus sit Titulus  
ad numerum, qui unus atque  
solus poterit votis meis figere  
terminos. Cæterum Tuæ in  
illo fastigio Humanitati atque  
Gratiæ in æternum memet com-  
mendo. Sis, maxime Mecœnas,  
mihi Laurus aliqua, & non so-  
lum sub umbra Tua me fove,  
sed & ramos deflecte ad degu-  
stan-



Etiam Tuæ fructus. Sic Deum  
venerabor indefessus, ut Numi-  
ne Suo Nomen Tuum in illiba-  
to flore iugiter conservet, glo-  
riamque rerum à Te gestarum,  
maiora semper permittat capere  
incrementa. Vale Vir illustris,  
Gemma Principis nostri, Amor  
Cimbriæ, Lumen fortunæ meæ!  
& fave

ILLUSTRIS  
GENEROSITATIS  
TUÆ

*Dab. Arg. d. 1. Febr.*  
*An. 1671.*

Devotissimo Clienti

HENRICO GEORGIO  
von Hatten.





PRÆLOQUIUM.

**E**T hoc & omne bellum militabitur. Quis verò tam abjectæ mentis, quis tam plebejæ sit animæ, ut ideo fructuosissima hujusmodi aversetur certamina? Quis ita injuriosius in se ipsum existat, ut laudabilissima ejusmodi Exercitia, ex metu odiové negligendo ipsa negligat Reipublicæ tyrocinia? Haut equidem me latet benè multos esse, qui hoc faciant, qui extemporali garrulitate cathedras allatrent, atque id generis actiones cum despectu Personæ, quin & cum ipsâ dignitatis læsione conjunctas putent. Malè autem meo arbitrio faciunt, quicumque hoc faciunt. Nesciunt enim quid magis juvet, ornet atque conservet Rempublicam, quam hoc ipsum. Sicuti miles per luforia certamina se præparat pugnæ, frequentiorique exercitatione adsuefieri discit militiæ studiis, sic ut expedita tandem manu sciat vibrare hastam, tractare sclopum & equum, discurrere in cornu, circumire, facere impetum, ferire hostem, & ad quemcunque Ducis nutum, stare promptum paratumque: ita sane & nos Prudentiæ civili atque rerum agendarum arenæ per ejusmodi eruditæ & luforias conflictationes adsuefieri non omnino non possumus. Quod cum & ego altiori mentis æstimatione excusserim, non indecorum mihi fore duxi, si ad Lydium hunc lapidem me quoque sisterem. Nulla tamen gloriæ adfectatio, nullus me impulit ventosæ ostentationis pruritus, sed solus & sanctus amor PARENTIS; PARENTIS inquam sanctissimè dilecti; cui jamdudum summa cum veneratione, me studiaque mea in æternum devovi, & cui jam nunc imprimis eadem nitor intendere in gaudia, edendo levidense hoc studiorum meorum specimen, ex quo tam exacti temporis documenta, quam futuri pateant solamina.

Faxit interim Triunus Deus, ut res felicissimè succedat, & aliquando vergat in latius eruditionis incrementum, ubi majoribus ingenii viribus suffultus majora audeam, ulteriorique conatu Patri me Patriæque commendem.

POSITIO



**J**us Majestaticum Imperatoris Romano-Germanici pro ingenii atque temporis angustia tractaturi, necessarium putamus prolegomena quaedam præmittere, ex quibus constet, quid illud sit, & quid eo ipso Imperatori nostro attribuamus. Ut autem methodum rectè disputantibus communem sequamur, ante omnia nobis ponderanda venit vocum origo, hononymia & synonymia, item definitio, divisio, & causarum atque effectuum evolutio.

## POSITIO I.

**J**us dici à Justitiâ, nemini, qui primis saltem labris degustavit juris principia, incognitum fore, nobis persuasissimum est. *arg. l. 1. ff. de l. & l. Variæ illius sunt appellationes, uti videre est in l. jus pluribus. ii. ff. d. t.* Nobis hic venit pro facultate moraliter competente: ita dicimus jus tutelæ, dominii, obligationis, nobilitatis, &c. Majestaticum vero appellatur à Majestate, quemadmodum ipsa Majestas à magnitudine, vel ut alii volunt à vocabulo majus: Ita Jovem aliquando à Majestate dixerunt Majum. *Macrob. Saturn. i.* Imperator Romano-Germanicus, unde vocetur? vel pueris & nec dum ære lotis notissimum arbitramur.

### II.

Interim tamen obiter hic meminisse juvat, nomen Imperatoris respectu hodierni fastigii satis exile, aut si mavis mediocre habuisse principium. Quilibet enim militiae Dux, ad bellum gerendum electus, sive Ipse duceret exercitum, sive suis auspiciis alii regendum committeret, Imperator appellabatur. *Limn. l. 2. c. 1. n. 2. 3. & seqq.* Deinde acclamari ab Exercitu Ducibus hoc nomine solitum est, prostratis scilicet & devictis aliquot hostium millibus. *Cic. l. 2. Epist. 20.* Post occupatam verò Rempubl. primus Julius Cæsar, hoc in prænomen vertit, scribendo *Imperator C. I. Cæsar*; cum Duces priores semper id postposuissent, hoc modo *Ful. Blas. Imperator &c. vid. Buleng. de Rom. Imp. l. 1. c. 1. p. 2. Limn. d. l. 1. c. 1. n. 11.*

B

III. Num



III.

Num autem Imperator rectè dicatur Romano-Germanicus, ambiguo Marte inter nonnullos disceptatur. Nos cum *Arumæo discurs. 1. jur. publ. Reincking. de Reg. secul. & Eccl. l. 1. cl. 2. c. 2. Linn. l. 1. c. 4.* in re tam luculentâ negantibus obicem ponere non veremur. Cæterum Jus Majestaticum in propriâ significatione consideratum, sumimus pro eminenti quadam facultate, cujus actus alterius juri non subsunt. *Grot. l. 1. c. 3. §. 7.* sive pro dominio aut potestate inter homines non agnoscente superiorem, quæ alias communiter dicitur Majestas.

IV.

Græci hanc potestatem vocant *κύριον, πολιτεύμα, ἀριστοκρασίαν.* Latini Scriptores appellant jus summum, jus Imperii, absolutam jurisdictionem, Imperium maximum *vid. DD. ad l. 3. ff. de Jurisdic.* Ab Aristotele appellatur jus Regni, & à Pomponio Jcto regia manus. Quomodo indigitetur Italis, Gallis, Hispanis, aliisque, *vid. ap. Besold. diss. pol. jur. de Majest. in gen. cap. 1. pag. 1.*

V.

Ex his verò de Majestate in genere dictis satis, credo, apparet, Jus Majestaticum nobis nihil aliud esse, quam ipsam Majestatem, quatenus illa reipsâ actus majestaticos exercet & Republicam liberrimè juxta leges divinas & fundamentales gubernat. Ingens Germaniæ nostræ decus, Conringius, duplici modo considerat Majestatem *vid. disp. de Maj. Imp. th. 6.* Aliam facit respectu subditorum, prout in eorum animis excitatur; aliam quatenus est in Imperante. Illa est opinio reverenda de Imperantium virtutibus, earumque affinibus; hæc summa in civitate potestas.

VI.

Sunt qui summam hanc potestatem dividant in realem & personalem, inter quos est *Besold. l. 1. pol. c. 2. th. 3. item in tract. de Maj. in genere c. 1. th. 3.* & quos ibi allegat *Herman. Kirchner. disp. de Rep. 2. th. 3. Hænonn. disp. de jure Maj. 1. th. 70. & seqq. Hundshagen Diss. pol. de Maj. & quos allegat Reinhard König part. 1. Theatr. pol. c. 13. n. 11. Christ. Matth. l. 3. syst. pol. exerc. 2. s. 1. Christ. Libenthal in coll. pol. exerc. 7. th. 2. aliique plures.*

VII. Ex



## VII.

Ex horum mente Majestas personalis est, quæ confertur in personam, qualem per legem Regiam Populus Romanus tulerit in Augustum. Hanc dicunt cum Personâ concidere, à persona in personam transferri, mortuaque persona ad Rempublicam reverti. Realis autem illis dicitur, quæ Reipublicæ perpetuo inhæret, ipsique est coæva, neque per decessum Imperantium expirat, & quamdiu corpus Reipublicæ durat, permanet, atque etiam in interregnis & alterationibus persistit. Vocant eam ideò fundamentum Reipublicæ. *Christ. Matth. in coll. pol. 2. disp. 2. th. 6.* Quin etiam hujus intuitu adserunt, Populum Romanum aliquam retinuisse Majestatem post legem Regiam latam, cum lex Regia saltem debeat intelligi de Majestatis personalis cumulativâ translatione.

## VIII.

Verumenimverò, multis vitiis scatet ista explicatio. Nam si distinctio illa rectè explicetur, nihil habebit incommodi. In regnis electitiis majestatem realem quandoque dici nihil vetat; ita tamen, ut non resideat apud populum, sed apud eos, qui populum per LL. fundamentales repræsentant. In illis verò regnis, ubi successio locum habet, plena seditionum illa opinio est, quæ Rege mortuo majestatem perire vult, illamque denuo in successorem à populo transplantari. Una est Majestas, realis, quæ tamen respectu subjecti, quod ipso actu eam exercet, personalis dici meretur.

## IX.

Objiciunt autem contrariæ sententiæ Propugnatores, Majestatem personalem à reali posse realiter separari; ergo etiam duplicem posse statui in una Republica Majestatem. Sed respondemus non diffitendo Majestatem eatenus quidem videri deficere, quatenus in Subjecto esse desinit, in quo ante fuit: tamen accuratiùs reponderatâ statuimus, revera eam non deficere, sed potius in aliam personam continuari, ut eâ mediante, Reipublicæ dein iterum inhæreat, etiamsi possit tunc quodammodo nova dici, quod novo mediante Subjecto Reipublicæ iterum inceperit inhærerere. Sic in regno successivo cum moritur Pater, non ideo etiam moritur Majestas, quæ erat in Patre, sed conti-



nuatur in filium. In regno verò electio revertitur ad populum universum, neque cum persona moriente simul evanescit.

X.

Sunt adhuc plura, quæ contra nos Dissidentes stringunt argumenta, quorum facilem refutationem reservamus cathedræ. Cæterum erroneâ hâc distinctione missâ, in una eademque Republ. non nisi unam statuimus Majestatem, quæ pro diverso respectu, nunc Imperanti vel Imperantibus, nunc Reipublicæ attribui possit. Hinc si quis respectu Reipublicæ Majestatem nominet realem, respectu vero Imperantium personalem, nec tamen duas realiter inter se distinctas sibi fingat Majestates, sed unam saltem in una Republica, diverso quidem nomine propter diversum respectum & modum considerandi; illum quidem nos nullius erroris sumus adstricturi. Ad causas autem pergimus.

XI.

Causam efficientem Majestatis vel primam facimus vel secundam. Prima nobis est Deus, nulla enim potestas est, nisi à Deo. *Rom. 13. vers. 1. Esa. 45. vers. 1.* Deique gratia Reges regnant. *Prov. 8. vers. 15. & 18.* unde tituli quoque sunt nati, quibus Principes, qui superiorem non agnoscunt, utuntur, *Nos Dei gratia, Germ. Wir von Gottes Gnaden.* Equidem & alii Principes, qui aliis subsunt, hâc utuntur formulâ; hi tamen non jure propriæ authoritatis id faciunt, sed vel ex concessione superioris, vel amore tantum pietatis ad commonefactionem officii. *vide Hundshagen in diss. de Maj. th. 9.*

XII.

Causa efficiens secunda nobis est electio & successio. Electionem distinguimus in eam, quæ fit per suffragia, & quæ fit per sortem. Illam facimus hâc modum eligendi principalem, qui fieri debet in conventu atque loco publico, omnibus, quos jus suffragiorum tangit, peculiariter citatis, ut ille, qui majori eorum consensu destinatus est, ab omnibus etiam admittatur.

XIII

Eminet tamen inter cæteras hujus generis, electio Pontificis & Imperatoris, quarum illa à duabus tertiis Cardinalium, hæc verò per suffragia plura Archi-Principum Electorum fit; illa



illa ex Cardinalibus, hæc etiam ex aliis Principibus, quam Electoribus; illa hodiè ferè ex solis Italis, hæc non aliter nisi ex Germanis instituitur. Sed anè pluralitas illa votorum æstimanda erit ratione singulorum Eligentium, an verò respectu Collegii? Posterius adfirmamus *cum Otthone in 1. P. c. 10. p. m. 232. & quos allegat, Covarruvia pract. quest. cap. 1. n. 4. Buxdorff. ad aur. bull. th. 33. & 35. aliisque pluribus.*

#### XIV.

Cæterum modus eligendi minus principalis est fors, quandoquidem ad eam rariùs devenitur, quando nimirum ratio & consilium deficit: alias enim communi fermè populorum suffragio repudiatur. *Tac. l. 13. ann. c. 29. n. 2. & l. 14. an. c. 44. num. 6. cum humana malitia ipsas sortes facilius pervertere, quam corrumpere consilia cordatorum possit, apud eund. Tacit. l. 4. histor. c. 7. n. 1. & seqq. tametsi Plato l. 3. d. LL. Sortem in constituendis Magistratibus tam Electioni, quam successioni præferat, quod Deus magis, quam fortuna eam dirigere videatur.*

#### XV.

Successionem quod attinet, est illa vel pacifica vel bellica. Pacifica procedit, vel ex testamento, vel ab intestato. Successionis ex testamento potior causa est. *arg. l. in plurium. 70. & l. illud. 77. de acquir. vel omit. hered. quæ etiam in Principatibus obtinet, modo ne lex fundamentalis refragetur.*

#### XVI.

Ab intestato autem succeditur 1. jure sanguinis, 2. conubiorum, 3. pactorum. Sanguinis ratio vocat ad successionem primùm liberos ob naturalem rationem, quæ veluti tacita lex iis parentum bona addicit. *l. cum ratio. 7. ff. de bon. damnat. Est enim hoc votum Parentum, ut ea ad liberos perveniant. l. de emancip. 13. C. de leg. hered. quippe qui pars corporis paterni. l. ne diutius. 21. C. de Agric. & Censit. & quodammodo domini æstimantur, etiam iis vivis. arg. l. in suis. 11. ff. de lib. & posthum. Ipsa verò regnorum dignitas, ut & Jus Gentium primogenito præ aliis hanc successionem confert; quâ hodiè Daniæ regnum S. R. Majestate gubernat *Christianus V. Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator semper Au-**

B 3

gustus,



*gustus, Rex atque Dominus noster omnium  
clementissimus.*

XVII.

Cæterum respectu sexus & agnationis alicubi successio-  
num jura variant. In Galliâ propter Legem Salicam solis Ma-  
sculis ex Principum sanguine ad fastigium regium adspirare  
licet. Alibi sicut in Hispaniâ, Angliâ, Daniâ, Sueciâ non ex-  
tantibus masculis etiam foeminae capaces sunt. Itaque adopti-  
vos liberos hic penitus excludi historiarum monumenta atte-  
stantur.

XVIII.

Secundus succedendi modus quandoque solet fieri jure  
connubiorum, quasi per pacta dotalia, quanquam hic & reliqui  
modi rariores sint, *vid. Besold. de Reg. success. diff. 10.* sic Maxi-  
milianus I. Imperator, cum matrimonio sibi junxisset Ma-  
riam Caroli Burgundiæ Ducis bellicosi filiam, consecutus est  
Belgium. Sic Philippus Filius, ductâ in uxorem Johannâ Fer-  
dinandi & Isabellæ, Arragoniæ & Castiliæ R. R. hærede, sibi ac-  
quisivit Hispaniam. *Otho in I. P. c. 17. p. 575.*

XIX.

Tertiò per pacta quoque v. gr. donationum succedendi  
jus acquisitum in Romanorum historiis videre est. Ita Populus  
Romanus ab Attalo Rege Pergameni, titulo donationis accepit  
magnam Asiæ partem; & Nicomedis Regis liberalitate Bithy-  
niam. Insignia verò sunt pacta mutuarum successio-  
num inter familias illustres, quæ Germanis dicuntur *Erbverbrüderung*/  
non etiam *Erbvereinigung* / ut rectè monet Limn. in notis,  
quas scripsit ad Otthonis Jus publicum p. cit. & latiss. in *I. P. l. 4.*  
*c. 4. n. 126.* ubi dicit *Erbvereinigung* sive confœderationem,  
certum modum belli pacisque tempore observandum; *Erb-*  
*verbrüderung* autem seu confraternitatem mutuam confra-  
trum respicere successionem.

XX.

Modi succedendi bellici fiunt per occupationem violen-  
tam. Sic occupasse legitur imperium sibi Nimrodus, robustus  
ille



ille Venator, homines ceu bestias in potestatem suam redigens. *Sleid. l. 1. de 4. Monarch. p. 7.* Sic Cyrus Majestatem Perfidis sibi, adjunxit Babylone capta. *Idem d. l.* sic Alexander M. Monarcham se fecit totius ferme orbis; sic Jul. Cæsar sibi Majestatem acquisivit Dictaturæ perpetuæ. Sic Carolus M. Majestatem Imperii Romani transtulit ad Germanos; sic Ferdinandus denique Rex Hispanorum Catholicus, pervenit ad Imperium Indorum Occidentalium, uti vult. *Barthold. Müller in disp. de occupat. th. 24.* sed ad formale progredimur.

### XXI.

Formale Majestatis consistit in eo, ut sit summa tam gradu quam plenitudine. Gradu debet esse summa, ut quæ nullam inter homines agnoscat superiorem. Summum enim dicitur, quo nihil est superius. Id quod tamen, hoc cum moderamine accipiendum, ut majestate Dei nullam statuamus superiorem. Huic enim omnis subjacet potestas, ad hujus aram litant Reges Dominiq; terræ; Ejus gratia sunt, quod sunt; Ejus nomine præstant, quod præstant, Deiq; Ministri sunt & Vicarii in terris, quin etiam inter homines ipsi audiunt Dii. *Hundshag. in disp. de Maj. th. 8.* Sic Ebræi vocarunt Principes atque judices suos Deos, quemadmodum omne aliud, quod in genere suo excelsit, divinum dixerunt. *Drus. ad loc. Gen. c. 37. & 39. ad loca Exod. 21. & 32. it. 35. prout eum allegat Besold. in disp. pol. jurid. de Maj. c. 2.* Hinc sacra & sancta in jure nostro audit Majestas, & Imperator sacratissimus salutatur, non ut Bodinus putat, quod hac ratione Deo, quod ipsius proprium est, impiè eripiatur. *l. 1. c. ult. de rep.* sed ut potius Principes officiorum suorum ejusmodi appellationibus admoneantur. Quia enim sunt Dei Ministri & Vicarii, meritò clementiam, justitiam, beneficentiamque Ter-maximi Dei nunquam non sequi debent.

### XXII.

Cæterum longè aliter res comparata est cum adfectata divinitate, quando Principes ineptissimâ atque intolerabili superbiâ inflati ex Diis sese natos gloriantur, adorariq; patiuntur, quemadmodum legimus fecisse Alexandrum M. Jovis Filium se appellare jubentem. *vid. Curt. l. 4. c. 7.* Ex Romanis autem Principibus maximè Caligulam & Domitianum. *vid. Pezel. in mellif.*



*mellif. hist. p. 2. pag. m. 372. & 351.* Ille enim simulacra Numinum, inter quæ & Jovis fuit, jussit ex Græcia adportari, quibus capite demto suum imponeretur. Templum etiam Numini suo proprium & sacerdotes & hostias exquisitissimas instituit. In quo stabat simulacrum aureum, quod magnitudinem, formam, omniaque Ipsius lineamenta ad unguem exprimebat; id quotidie amiciebatur veste, quali ipse erat indutus. Ille autem, Domitianum puto, in spectaculis præsidebat Deorum habitu amictus, jubebat se Dominum Deumque appellari, ante edicta etiam scribebat: *Sic Dominus & Deus noster fieri jubet.* Ejusmodi appellationes ad turpem blasphemiam compositæ, tantum abest, ut nobis placeant, ut potius eas ad orcum usque execrabiles damnemus.

### XXIII.

Quemadmodum autem Majestas summa debet esse gradu, ita etiam summa debet esse plenitudine, id est talis, quæ imparet universim, ubique, in omnibus. Hinc si quis Regum saltem in re certâ haberet summam potestatem v. gr. in re militari, penes illum minimè foret integra Majestas. Parum tamen, imò nihil facit ad Majestatem, locorum & provinciarum multitudo. Ad hoc enim ut quis habeat Majestatem, necesse non est, ut universale totius orbis teneat imperium; sed sufficit, si uni, etiam si exiguæ tantum præsit civitati, modò nemini præterquam Deo sit subjectus. Tunc æqualem cum Artaxerxe, qui super 127. provincias regnabat; æqualem inquam cum Alexandro M. qui totum fermè terrarum orbem subegerat, Majestatem ipsum habere liberè existimamus.

### XXIV.

Præterea sciendum hic est ulterius, benè multos dari, nec extremæ classis inter rerum politicarum Scriptores, viros inquam satis celebres, & subacti aliàs in ejusmodi rebus judicii, qui minimè ineptum sibi ducant, Majestatis formale ad quandam quoque temporis perpetuitatem extendere, negando summam revera posse statui Majestatem, nisi illa sit etiam perpetua. Hinc est, cur Bodinus eam definiat, quod sit summa, perpetua, legibusque soluta potestas; & vi hujus definitionis eos, quibus  
ad tem-



ad tempus aliquod summa concessa est potestas, potius illius potestatis Custodes, Reiq; publicæ Curatores, quam Reges aut tales, qui veram habeant Majestatem; appellet. *l. 2. d. Rep. c. 8.*

XXV.

Bodinum sequitur *Besoldus diff. pol. jurid. de Maj. c. 6. th. 1.* qui non erubescit ibi adserere, nec Dictatorem in Republica Romanorum habuisse summam potestatem, cum ipsi saltem ad tempus ea fuerit credita. *Liebenthal. coll. pol. c. 8. th. 14. & 22.* eundem errat errorem; *Illis ergò, inquit, quibus ad breve tempus summa tribuitur potestas, Majestas propriè non competit. Hinc nec consulare Imperium apud Romanos, nec Dictatoris, quia sex saltem mensium, ullius Majestatis capax fuit.*

XXVI.

Enimverò optimè *Grotius, qui lib. 1. d. 1. B. & P. c. 3. §. 11.* in hunc modum: *Summum Imperium Dictator Romanus habebat &c. Neque enim illis assentio, qui Dictatori negant fuisse summum Imperium, quia perpetuum non erat. Nam rerum moralium natura ex operationibus cognoscitur, quare quæ facultates eosdem habent effectus, eodem nomine etiam sunt nuncupanda. At verò Dictator intra tempus suum, omnes actus, eodem jure exercet, quo Rex, qui est optimo jure; neque Ejus actus ab alio potest reddi irritus. Ergo Idem etiam eodem jure habet Majestatem, quo Rex.*

XXVII.

Incomparabili huic Viro adstipulantur, *Lampad. p. 2. d. Rep. Rom. Germ. Linn. in comment. super capitul. Ferd. 1. & nunquam satis laudatus Conringius in disp. de Regno. th. 4.* aliique non minoris famæ Viri. Possent autem nobis objicere *Besoldus* atque *Liebenthal*, ex nostrâ opinione, quâ statuimus ad Majestatem non requiri necessariò temporis perpetuitatem, sequi, mortuo Imperatore Romano-Germanico, Majestatem pervenire ad Vicarios; quod tamen contra omnia juris publici sit principia, ipsamque experientiam.

XXVIII.

Respondemus ad hanc oppositionem negando consequentiam, & distinguendo inter ipsam summam potestatem & ejus exercitium. Non denegaremus Majestatem Vicariis, si mortuo Imperatore ipsa summa potestas ad eos plenè perveniret; ut ad certum tempus & revocabiliter; sed cum saltem summæ

C

potesta-



potestatis quoddam nanciscantur exercitium : alia obstat ratio, quò minus Ipfis Majestatem competere dicamus.

XXIX.

Materiam Majestatis statuimus duplicem, circa quam & in qua. Materia objectiva, circa quam versetur Majestas, sunt parentes, quibus obsequii gloria relicta est. Materia subjectiva, sive in qua consistat Majestas, sunt personæ Imperantes, sive spectentur in Monarchia, sive in Aristocratia, sive in Democratia. Sub simplicibus autem istis, mixtas Respublicas complectimur.

XXX.

Materiam excipit Finis, qui respicit incrementa Rerum-publicarum, scilicet ut moderato summæ Majestatis imperio, ipsa firmentur & conserventur Imperia; ante omnia verò, ut salus subditorum promoveatur: Hæc enim suprema lex est Majestatis, hic optimus finis. Quemadmodum nauclero cursus secundus, Duci victoria; sic Majestati salus Reipublicæ est & esse debet semper proposita.

XXXI.

Non ergo Majestas ad injuriosa & iniqua est extendenda, nec ad peccandum ulla Imperanti adscribenda est privilegiata potestas; quippe cum Majestas inventa sit ad Reipublicæ augmentum, non debet deminutioni præbere occasionem. Et flagitiosissimi sunt Consilarii, qui hanc absolutam potestatem, contra Dei Gentiumque & Status Reipublicæ leges, improbè transmutare; & sic purpuram Majestatis, maculoso Tyrannidis vellere; civium dignitatem ac libertatem, asinina & servili abjectissimæ patientiæ veste, induere satagunt; nec aliter Principum jura & æstimationem salva esse posse, confidentissimè nugantur, uti *Besold. refert ex Lansio in diss. pol. jur. d. Maj. p. 69.*

XXXII.

Faceffant ergò à fine Majestatis, Tyrannicæ vel voces, vel cogitationes. *Juv. sat. 6.*

*Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Faceffant inquam, verba Juliae ad privignum Caracallam; *si libet, licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere?* exulet illud Caligulae responsum ad Antoniam: *Memento mihi omnia & in omnes licere.* Absit jaçantia Neronis, qui dixit, neminem Principum



cupum ante Ipsum scivisse, quid sibi liceret, aliæque similes voces: absint! inquam, exulent! faceffant procul à fine Majestatis!

XXXIII.

Restat adhuc Majestatis Effectus. Est itaque Majestas soluta legibus potestas, est fons & scaturigo augustissima omnium in Republica reliquarum potestatum, *Bodin. meth. hist. c. 6. f. 170.* Et quemadmodum animæ facultates, omnesque sensus ac motus corporis humani, proficiscuntur à virtute solius animæ, in eaque subsistunt; ita etiam à sublimi Majestatis Imperio omnia alia inferiora proveniunt. *Bornit. de Maj. c. 4. f. 6.* Hinc olim jure Saxonico sancitum invenimus, *In welch' Land der Keyser kômmt / daselbst ist ihm das gericht ledig / dass er alle Klagen richten mag / die vor Ihn kommen / Landrecht l. 1. art. 58. S. wen der Graff &c.*

XXXIV.

Verùm, sufficiat hæc in genere de principiis Majestaticis delibasse; nunc propiùs ad institutum nostrum accedemus. Constituimus namque pro tenuis ingenii viribus quæstionem illam verè augustam, *An Imperatori Romano-Germanico Majestas competat?* latius examinare, & quidem affirmativè contra improbos ejusdem oppugnatores pro virili defendere. Hunc ordinem verò servabimus, ut primò proponamus ea, quæ nostram sententiam instruant; deinde adferemus, quæ pro adversariis militare videbuntur; & tandem ad illa respondere conabimur.

XXXV.

Provocamus autem ad auctoritatem doctissimorum virorum, idem nobiscum stantium, inter quos est *Limneus vol. 1. l. 1. c. 10. n. 12. & seqq. & cap. 12. n. 36. & seqq. Reincking. l. 1. class. 2. c. 8. & cl. 3. c. 8. & II. Rumelinus p. 1. ad Aur. Bul. diff. 3. th. 18. & diff. 5. th. 10. Carpz. de L. R. Germ. c. 13. sect. 6. Gothofred. Anton. disp. apologet. adversus Vultej. de potest. Imperat. leg. soluta, aliique plures.*

XXXVI.

Horum suffragio muniti pro Majestate Imperatoris Romano-Germanici sic argumentamur. I. Si Regibus & Principibus aliis, superiorem nisi Deum non recognoscentibus, rectè attribuitur Majestas, utique etiam illam rectè attribui putamus Imperatori Romano-Germanico. Atqui verum est prius: Ergo

C 2

& poste-





& posterius. Consequencia Majoris patet, quod Imperator neque parem neque superiorem habet ullum super terram, ne dum in suo Imperio. *Carpz. d. 1.* Est Monarcha dignitate maximus, & supremus omnium Principum Princeps in rebus hujus seculi. *Reincking. l. 1. cl. 11. c. 6. n. 7.* Est caput totius Christiani orbis. *Aur. Bull. Carol. IV.* Nullique Principum tantam Majestatem deberi, quanta Imperatori, patet ex Tertulliano, quem allegavit *Carpz. c. 13. f. 5. n. 1.* Is enim ita scripsit: *Imperatores, qui illis dederit Imperium, sentiunt, Deum solum esse; in cujus sunt potestate, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes homines.*

XXXVII.

Hinc non solum Imperii, sed etiam exteri & universi orbis Principes, tametsi viribus videantur potentiores, culmini Imperatorio libentissimè cedunt. *Nov. 30. in pref. Bechman. in diss. de Imp. Elect. th. 33.* Neminem etiam præter Imperatorem olim coronas portare clausas notat *Besold. in diss. de Majest. p. 34.* Et alias quoque *Guntherus in suo Ligurino lib. 1.* ita de Imperatore nostro scribit:

*Suscipe cunctorum Regnator maxime Regum,  
Suscipe lux mundi, cui nullum parvè priusvè  
Spirat in orbe caput: Te gaudet Principe Mundus:  
Te populi, Te regna timent: Te solis ab ortu  
Solis ad occasum, submisso vertice cuncti  
Suspiciunt, Dominumq; simul, Regemq; fatentur.*

XXXVIII.

Corruit hic ergo Bodinus frustraneo conatu qui *l. 1. de Rep. c. 9.* scribit, Turcam Gallorum Reges cæteris omnibus anteferre, & Principum Christianorum quoque vocare maximos: cum tamen abundè pateat contrarium vel ex hoc unico, quod longè ampliori honore, Turca Nuncios Imperatoris Romanorum, quam Gallia Regis, aliorumque Principum jam pridem tractaverit Legatos. His enim stando promere mandata; illis autem sedendo se explicare permisit. Exemplo nobis est *Davidus Ungnadius*, aliquando ad Turcam Legatus ab Imperatore missus, qui cum in audientiâ, ut vocant, coram Sultano paulisper steterisset, neque ipsi deferretur debitus sessionis honor, pallium quod





quod habuit terræ iniecit, eique superinfidens, quæ in mandatis ipsi fuerunt, exposuit, iterumque confurgens pallium reliquit: interrogatus verò à Turcis, cur id faceret? argutè respondit; *Cæsaris Legatum sellam sibi portare non solere.* Ita refert *Limn. l. 2. c. 7. n. 30. ex Christoph. Warssevic. in orat. de legation. & legat. Carpz. d. L. Reg. G. c. 13. s. 6.* Sic in celebritate circumfisionis Muchametis III. quæ durasse dicitur per 40. dierum noctiumque spatium, præsentibus Constantinopoli maximorum prope totius orbis Principum Legatis; Rudolphi II. Imperatoris Legati, loco visi sunt primo. *Lanf. de prærog. prov. Europ. in Orat. pro Hung. p. m. 465.*

XXXIX.

Quin imò gaudet Imperatoria Majestas hac reverentiæ excellentiâ, dignitatisque prærogativâ, non tantum apud Turcas, sed & maximos Christiani orbis Monarchas. Quem lætè amplissima Regum Hispaniæ potentia, in quorum Imperio Sol nunquam occidit, imò quod decuplo majus quam Turcarum Imperatoris adserit *Bodin. de Rep. l. 2. c. 2?* Nihilominus tamen potentissimi hi Reges, jam dudum Imperatori nostro primas cedere. Documento nobis est vel unicus Alphonsus, Rex Neapolitanus, qui Friderico III. Imperatori ad se venienti, licet ille ætate esset provectior, nihilominus superiorem reliquit locum; aulicisque nimiam ipsius erga Fridericum humilitatem increpantibus, sapienter respondit: *Vestrum non est judicare de Regibus; Nos Reges omnes debemus Reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi, qui caput est & Dux Regum,* prout refert *Reincking. l. 1. cl. 2. c. 7. n. 18. vid. etiam Panormitan. de rebus gest. Alfonsi. lib. 2. n. 60. lib. 4. num. 4. ibique Æneas Sylv. in Comment. Taceo Sigismundi I. Regis Poloniae verba ad Carolum V. scripta: facit Majestas vestra rem suâ virtute, nostra autem in se observantia dignam. Pistor. in corp. hist. polon. tom. 1. p. 257.* Taceo aliorum quoque Regum & Principum reverentiam, quam omnes Imperatoriæ Majestati non modo jam olim detulere, sed etiam adhuc summo jure deferre debent: id quod multis argumentationibus rectissimè adfirmat *Reincking. l. 1. cl. 2. c. 7.*

XL.

II. Ulterius pro Imperatore nostro argumentamur. Quicumque omnia Majestatis habet jura, is ipsam quoque ha-

C 3

bet



bet Majestatem. Imperator Romano-Germanicus omnia habet Majestatis jura. Ergo ipsam quoque habet Majestatem. Major immotæ veritatis est. Minor autem liquet ex rationibus sequentibus. Præsupponimus neminem fore, qui negaverit, esse quædam reservata in solidum penes Imperatorem, sive jura quædam Majestatis, quæ ex se solus exercere possit non consultis Statibus, deinceps quædam etiam esse Majestatis jura, quæ Imperator habeat communia cum Statibus. Si ergò quædã Imperator habet jura Majestatis in solidum, quæ cæteri Status non habent; quædam verò iterum cum Statibus communia: sequitur, quod habeat omnia; licet enim non habeat omnia in solidum, sed quædam communia cum aliis, ea tamen, quæ habet communia cum aliis, nihilominus habet. Ergo habet omnia Majestatis jura, & per consequens ipsam quoque Majestatem.

XL I.

III. Quicumque in Imperio plenitudine fruitur potestatis, ille habet Majestatem. Atqui Imperator fruitur in Imperio plenitudine potestatis. *Aur. Bull. Carol. IV. in præf. circa fin. tit. 2. in princ. tit. 8. t. 13. in fin. & tit. 16. Recess. Imp. de an. 1495. de pace publ. rubr. von Sachen / so sich vor diesem Landfrieden begeben haben. illis verbis: von Römischer Königl. macht / vollkommenheit und rechtem wissen / & d. an. 1544. S. Als wir aber ibi auß unserer Keyserlichen macht und vollkommenheit. & de anno 1555, s. Solches alles und jedes. Et hac clausula (auß rechtem wissen und Römischer Keyserlicher macht und vollkommenheit) in rescriptis suis & privilegiis utitur, ut probat experientia. Ergo habet quoque Majestatem.*

XL II.

IV. Quodcunque jure Romano Imperatoribus olim fuit concessum, atque postea neque tacitè neque expressè rursus ademptum & revocatum; illo adhucdum gaudent ii & fruuntur. *arg. l. precipimus. 32. in fin. Cod. de appellat. & l. sancimus. 27. C. de testam. vid. Gothofred. Anton. in disp. Anti-Vult. 1. th. 23.* Atqui Jure Romano Imperatoribus concessa est Majestas, nunquam verò iterum adempta. *S. sed & quod. 6. Instit. de l. N. G. & C.* Ergò adhuc hodie illà gaudent & fruuntur, tametsi arctioribus paulisper, quam olim sit circumsepta terminis.

XL III.



V. Quicunq; omnibus & singulis Imperii civibus, non tantum simpliciter, sed ex jure summo & majestatico imperat, is habet Majestatem. Atqui Imperator omnibus & singulis Imperii civibus, non tantum simpliciter, sed ex jure summo & majestatico imperat. Ergo. Minor probatur ex *Recessu Imperij de an. 1521. Ordnung des Land. Friedens zu Wormbs d. an. 1521. in pr. ibi* Entbieten allen und jeglichen unsern und des heiligen Reichs Churfürsten/ Fürsten/ Prälaten/ Grafen &c. unsern und des Reichs Unterthanen/ *in ead. constit. sub tit. Handhabung des Friedens s. darauff befehlen wir. ubi ita Carolus V. Imperator alloquitur Imperii status: Darauff befehlen wir allen und jeden obgeschriebenen/ Euch auch hiez mit auß Römischer Keyserlicher macht / bei den Eiden und pflichten / die ihr uns von des Reichs wegen insonderheit gethan / und bey dem gehorsam / dem Ihr uns als Römischen Keyser schuldig seid / auch bei verlust aller Gnade/ privilegien und Rechte/ so Ihr von Uns und dem Reich oder sonsten habt: ernstiglich und festiglich gebietend / daß Ihr diesen Unsern obgeschriebenen Frieden und Geboth/ mit allen articuli und inhalt stett und fest haltet &c. vid. Reincking. l. 1. cl. 2. c. 2. n. 72. & seqq.*

## XLIV.

VI. Cui tanquam summo à Principibus & Statibus Imperii præstatur Homagium non fidelitatis tantum, sed & subjectionis; Ille habet Majestatem. Atqui Imperatori tanquam Summo à Principibus & statibus Imperii præstatur homagium non fidelitatis tantum, sed & subjectionis. Ergo. Veritas minoris apparet ex formula juramenti dem Keyser und dem heil. Röm. Reich treu/ hold und gehorsam zu seyn; quam refert Waremund ab Ehrenberg l. 2. d. fœd. sub num. 161. Reinck. de Reg. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 2. cap. 11. num. 88. & seqq. Huc facit etiam *Recess. Imper. zu Wormbs in precedente thesi allegatus d. an. 1521. sub rubr. Ordnung des Land. Friedens zu Wormbs s. darauff befehlen wir allen und jeden obgeschriebenen / ibi: bey den Eiden und Pflichten / die ihr uns des Reichs wegen insonderheit gethan / und bey dem gehorsam / den Ihr uns als Römische*



Römischem Keyser schuldig 10. Quod vocabulum Gehorsam sein subjectionem denotat *Gail. de arrest. c. 7. n. 11.*

XLV.

Haecenus itaque evidentissimis uti putamus, argumentationibus probatum est, Imperatori Romano-Germanico potestatem summam, summo jure attribui posse. Nunc ad dissentientes, quorum aliqui satis praefractè nobis hic ogganniunt, & non solum lascivis linguis, S.S. Imperatorum Majestati insultant, sed etiam velut orci galea tectæ, invidiæ inquam, mordax ut ita loquar, atramentum super ea chartis illinunt. Inter hos sacrilegos Majestatis Imperatoriae Tortores agmen ducit Bodinus *l. 2. de Rep. c. 5. p. m. 348.* quem sequitur verus iste lapideus Hippolytus. *in diss. de ratione status p. 1. c. 3.* aliique plures similis farinae. Nescio autem quâ peste livoris infecti, Majestatem velut clavam ex manu Herculis Imperatori satis audenter evelere, eamque planè Principibus & Statibus Imperii (quis enim communicata illis multa Majestatis jura neget?) magna cum anxietate adscribere conantur; nisi fortè ut dissensiones inter augustissimum caput & membra disseminent, atque ita ipsius corporis ruinam meditentur. Sed salva res est! conantur; nullis tamen rationibus id unquam evincunt.

XLVI.

Producenda verò sunt egregia, si Diis placet, ipsorum argumenta. Dicunt I. Quicumque nullis est solutus legibus, is nullam quoque habet Majestatem. Atqui Imperator, nullis est solutus legibus: non divinis; hæ enim latae sunt à supremo Rege, ad cujus nutum quiescunt maria & omnia obediunt elementa: non naturalibus & juris Gentium, quia & hæ divinæ Providentiæ sunt constitutæ, quas sine metu divinæ ultionis nemo temerare potest. *S. sed naturalia. II. Instit. de I. N. G. & C. non fundamentalibus, quippe quas juramento se servaturum promittere cogitur. Carpz. in capit. Imp. c. 1. §. 7. nec denique etiam civilibus. arg. l. 3. Cod. de Testam. & l. ex imperfecto. 23. ff. de Legatis 3. l. si Imperator. 8. §. 2. ff. de inoffic. Testamento. Ergò.*

XLVII.

Quicumque non potest condere leges universales; non suscipere bellum pro salute Imperii; non decernere pacem; non imponere



imponere vectigalia; non indicere Imperii conventum; nisi ad-  
sentiantur vel omnes Ordines vel ad minimum Electores: Is  
non habet Majestatem. Atqui Imperator non potest condere  
leges universales, ut apparet vel ex formulâ illâ, quæ passim in  
recessibus Imperii reperitur: *haben wir uns mit den Stän-  
den/ und Sie hinwiederumb mit uns verglichen &c.* non  
potest quoque suscipere bellum; decernere pacem; imponere ve-  
ctigalia; indicere conventus, absque Statuum consensu: uti ple-  
nissimè id apparet ex Capitulationibus Imperatorum. Ergò.

XLVIII.

III. Quicumq; non est summus in Republicâ, is nec habet  
Majestatem. Imperator non est summus in Imperio; Princi-  
pes enim Ipso sunt superiores, tum quia in Comitibus Ipsi ferunt  
leges, tum quia Electores Ipsius constituendi & exauctorandi  
habent potestatem. Atqui inferior in superiorem non potest  
exercere jus Majestaticum.

XLIX.

IV. A quo summa Reipublicæ judicia non dependent,  
ille non habet Majestatem. Ab Imperatore summa judicia non  
dependent; quippe quæ etiam à reliquis Statibus constituun-  
tur & eorum nomine exercentur. *vid. Ord. Cameral. & Rec. Imper.  
d. an. 1654.* Ergò.

L.

V. Quicumque super se patitur judicem superiorem; Is  
non habet Majestatem. Imperator patitur super se Palatinum  
judicem superiorem, ut patet ex *Aur. Bull. Car. IV. Imp. tit. 5.* Ergò.

LI.

VI. Quicumque præstat alteri tributum, is non habet Ma-  
jestatem: nam tributum præstatio est signum subjectionis. At-  
qui Imperator præstat fisco Turcico pro fruenda Hungariæ  
parte annuum tributum. *Bod. l. 1. de Republ. c. 9. pag. 224.* Ergò.  
Et hæc sunt illa grandia tela, quæ Bodinus cum affleclis suis de-  
structam Imperatori Romano-Germanico vult Majestatem.  
Hæc illa sunt fulcra & fundamenta, quibus idem nixus novam  
fabricare studet summitatem, eandemque Statibus atque Prin-  
cipibus Imperii, specioso quidem sed pessimo simul molimine  
ultrò attribuit.

D

LII. Cæ-



## LII.

Cæterum ut appareat, quanta consistant firmitate; quantum rationes Bodini præ se ferant pondus; non putamus oleum & operam nos esse perdituros, si nunc ordine ostendamus, longè minus præstare ratiunculas istas, quam quod intendant & specioso apparatu minentur. Respondemus itaque ad argumentum I. quod Imperatori Romano-Germanico potestatem denegat legibus solutam; extra omnem controversiæ aleam & ambabus insuper manibus nos largiri adversariis, Imperatorem certis esse legibus adstrictum; minimè tamen, Ipsum nullis planè legibus esse solutum.

## LIII.

Sunt equidem leges aliæ divinæ, naturales, juris Gentium, fundamentales; aliæ civiles. Divinæ sunt iterum vel morales, vel forenses, vel cæremoniales. Moralibus Imperator omninò tenetur. *Deut. 17. vers. 19.* Rex leget in libro Legis omnibus diebus vitæ suæ & non deflectet ab eo; & *Jos. 1. vers. 8. Psalm. 2.* Forenses & cæremoniales, utpote per adventum Christi sublata, nullâ Ipsum observatione adstringunt. Naturalibus verò iterum tenetur legibus; non enim earundem respectu, considerandus est ut Imperator, sed ut homo: præterea ipsa Dei providentia voluit, eas esse omnibus indistinctè immutabiles. *J. pen. Instit. d. I. N. G. & C.* Idem judicium esto quoque de jure Gentium, quo conventionum fides, pacta & contractus nituntur. *Reinck. l. 1. cl. 3. c. 12. n. 9.* Cæterum nec fundamentalibus regni legibus solutum facimus Imperatorem. Eas enim antequam oblata scepra capessit, reciprocè cum Proceribus facta conventionem, interpositoque juramento se servaturum promittit.

## LIV.

Supersunt adhuc leges civiles. Hæ sunt, quibus Imperatorem nostrum adhuc hodiè, prout olim fuit, solutum perclamamus. *arg. l. Princeps. 31. ff. de LL. non obstantibus supra allegatis. l. 3. Cod. de Test. & l. ex imperfecto 23. ff. de legat. l. 3. l. si Imperator 8. §. 2. ff. de inoffic. Testament. alijsque similibus.* Tametsi hoc cum moderamine intellectum velimus, respectu scilicet habito ad extraordinariam Majestatis potestatem. Vi enim ordinariæ, legibus civilibus Imperatorem non solvimus.

Quid



Quid enim magis æquitati convenit, quàm ut is qui leges facit, pari majestate iis obtemperet; nihilque tam proprium est Imperii, quam legibus vivere. *l. 3. C. de testam.* & digna vox est Majestate Regnantis, legibus alligatum se profiteri Principem: atque revera majus est Imperio, submittere legibus Principatum. *l. digna 4. C. d. LL. juncto S. ult. Instit. quibus modis testam. infirm.*

L V.

Ratione autem potestatis extraordinariæ, Imperatoriam Majestatem omninò profiteamur legibus civilibus solutam; ita ut urgente publica necessitate, eam liberrimè exercere, ordinariam verò & legibus circumscriptam potestatem respuere possit. Quemadmodum enim Naclero vel Patrifamilias, certæ leges præscribi nequeunt; sic & Imperator legibus solutus est, non ut ex lubidine, animique sui impetu omnia agat, sed ut leges illas merè civiles, pro varietate circumstantiarum mutare, ac ad supremam illam legem, salutem populi aptare meritò possit debeatque. Et hoc est, quod dixit *Justinian. in Nov. 105. circ. fin.* Deum ipsas leges Imperatori subjecisse.

L VI.

Cæterum Capitulatio sive lex Germanorum Regia, nihil demit Imperatoriæ Majestati. Sicut enim Imperator superioritate suâ non cadit, obedientiam præstando legibus divinis & naturalibus; ita etiam non languet aut flaccescit Ipsius Majestas, licet circumsepta sit legibus fundamentalibus, quibus vi conventionis & juramenti vinculo est adstrictus. Utitur ergo Imperator Majestate sua in ea forma, qua Ipsi constituta est. Majestas autem in omni Republica est talis, qualem Deus per Rempublicam ei confert, quemad Imperium evehit, & sic pro diversitate regnorum regionumque diversa. Non enim est naturæ sed hominum opus, neque tale quid, quod omnium consensu sit uniformiter constitutum, adeò ut potestatis ipsius perpetua & una ubivis sit forma faciesque; sed ab arbitrio Dei, mediante Republica dependet. Est itaque Majestas Imperatoria non generalis, ut ita loquar, & cum omnibus aliarum Rerumpublicarum Majestatibus eadem; sed specifica & talis, qualem Status Imperii esse volunt. *Limn. p. 1. c. 12. num. 38.* Quemadmodum enim potestas dominorum in servos origine

D 2

quidem



quidem juris est gentium; alia tamen ratione effectus apud Romanos: ita non obstat, (loquor cum Limnæo,) Majestatem aliam facere generalem Gentium, aliam specialem certæ alicujus considerare Reipublicæ. Neque tamen, ut *Grotius l. 1. d. 1. B. & P. c. 3. n. 16. inquit*, desinit summum Imperium, etiam si is qui imperaturus est, promittat aliqua subditis, aut Deo, etiam talia, quæ ad Imperii rationem pertineant. Idque declarat similitudine Patrisfamilias; Is enim licet aliquid familiæ causâ se facturum promiserit, minimè tamen jus amittit summum, quod habet in familiâ: Sic nec maritus eo, quod uxori quid promiserit, maritali suâ privatur potestate. Hinc elegantissimè *Limnæus p. 1. c. 12. n. 36. scripsit*: Quemadmodum candela, vitreæ inclusa capsulæ, æquè ac si extra eandem esset posita, lumen spargit suum, & hoc modo conservatur, ne ventis hinc inde exposita extingatur aut diffluat: Ita Majestatis splendor, circumstante non tamen obstante Capitulationis fabrica, lucidus apparet, eademque munitus, ne favoniis adulationum ventis admittis, pronâ pereat licentiâ & summam denique patiatur eclipsin.

#### LVIII.

Verùm posito denique, Imperatorem Romano-Germanicum non habere Majestatem, quod juret in leges fundamentales; sequetur inde, nullum unquam in orbe terrarum vel habuisse Majestatem, vel adhucdum habere: sed quanta hæc absurditas? Longe aliud nos docent non solum antiqua, sed & hodierna tempora & notorius totius orbis Christiani usus. Davides cum ungeretur ab universo Israel, percutiebat fœdus cum Senioribus populi 2. *Sam. 5. vers. 3.* quod effectu sanè nihil aliud fuisse videtur, quam lex Regia seu capitulatio. Lutherus eam vocat *Das Königs-Recht. samuel. 1. c. 8. vers. 11. Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet & ponet in curribus suis, facietque sibi Equites & Præcursores Quadrigarum suarum &c.* Et Anastasius quoque Imperator ante mille nunc annos & amplius, antequam coronaretur, juramento cogebatur promittere Euphemio Patriarchæ, se Chalcedonensis concilii decreta servaturum, & in dogmatibus ecclesiasticis nihil mutaturum esse, prout refert *Pezet in mellif. histor. p. m. 426.*

LIX. Sal-



## LIX.

Salutem verò facientibus ad nostra tempora, nullum Christiani orbis regnum occurrit, in quo adhuc hodiè constituatur Rex, nisi solenne prius præstiterit iuramentum, se suum cuique ordini & homini, jus privilegiumque à prioribus Regibus collatum, esse salvum conservaturum. Testatur de Regibus Angliæ *Bodin. l. 1. d. Rep. c. 8.* ubi dicit, eos proprio motu sine consensu Procerum nihil facere posse, nisi prius iuramento promiserint, se leges Patriæ non violaturos. Nullam quoque Rex Angliæ potestatem habet exigendi tributa, sine Ordinum Statuumque consensu, ita *Comineus habet l. 4. comm. de reb. gest. Lud. XI. Regis Gallia.* De Regibus Scotiæ testatur *Buchananus in Dial. de jure Regni apud Scotos*: eos scilicet tempore inaugurationis, universo promittere populo, se leges & majorum ritus, veteraque instituta sanctè servaturos, eoque jure usuros, quod à majoribus accepissent. Idem quoque testimonium hoc illustrat exemplo Roberti II. Regis Scotorum, quod *l. 8. rerum Scotticarum* pulchrè ab ipso deductum.

## LX.

De Polonia Regibus testatur *Steph. Jun. Brutus in vind. contra Tyran. q. 3. quem allegat Carpzov. in L. R. G. l. 1. f. 6. num. 10.* ubi refert, Henricum Andegavensem in actu coronationis, ter stipulantibus Proceribus, totidem etiam polliceri coactum fuisse, se conservaturum tam Evangelicam quam Catholicam Religionem. De Regibus Hungariæ testatur *Bonsin. rerum Ungar. l. 9. dec. 4.* ibique recenset iuramenti formulam Vladislao II. Regnum Hungariæ ineunti, an. 1490. à Proceribus præscriptam. De Regibus Bohemiæ testatur *Reincking. d. R. S. & Ecclesiast. l. 1. cl. 3. c. 9. n. 28.* ubi refert, Reges Bohemiæ inter cætera iurandi capita, Hussitis non secus quam Catholicis, tutelam suam præsidiumque sacramento obstrinxisse. De Regibus Sueciæ testatur *David Chytraus l. 2. item Arnif. de Auct. Princ. c. 1. num. 4.* Quorum Ille solemnem iuramenti formulam recitat, septem insignia complectentem capita, & an. 1545. Dresdæ typis excusam.

## LXI.

De Regibus Hispanorum testatur antea allegatus *Jun. Steph. Brut. in vind. contra Tyran. q. 6.* Etenim & illis sub ingressu regni



fui certæ proponuntur conditiones, quibus jurejurando se obstringere coguntur; Primum enim Rex inaugurandus, indicto concilio, admonetur sui officii, mox præleguntur conditiones, tandem Rex jurat, se fideliter eas observaturum; *vid. hæc de re eleganter scribentem Carpzov. d. l. R. G. l. i. f. 6.* De Rege Galliæ testatur *Hotomannus in Franco-Gallia c. 7. num. 25.* qui dicit, nihil Regi sine publici consilii approbatione statuere licere; ejusque rei evidentissimum vel hodie adhuc apparere vestigium, cum Parisiensis Senatus veteris illius Parlamenti auctoritatem præ se ferens, nullas Regis constitutiones ratas habeat, nisi Consiliariorum sententiis comprobatas. Neque ratum etiam haberi pactum à Rege initum, nisi intercesserit auctoritas Consiliariorum Senatus Parisiensis; quæ omnia latè deduxit exemplis *Carpzov. c. 1. f. 7. d. L. R. G.* De Regibus Daniæ, qualiter olim & in quas leges juraverint, *vid. Meurf. in Histor. Danic. part. 2. lib. 4. de Christoph. II. ad ann. 1320. & de Olao VI. ad ann. 1375.*

#### LXII.

Cùm itaque nullus in toto Christiano orbe Rex aut Princeps existat, cujus potestatem non comprimant & circumcidant initæ cum Ordinibus certæ pactiones, quibus ad Imperium vel Regnum evehatur, seseque juramento obstringat: nemo autem eo usque procedat audaciæ, ut ulli ex iis, nedum omnibus ideo deneget Majestatem: nescio quam imprudenter tandem & impudenter quis insultare cum aliis frivolis homuncionibus summitati Imperatoriæ, eandemque capitulationis obtentu suppressam ire velit. Proinde sufficiat pro conclusione primi argumenti adhuc dixisse, tantum abesse, ut capitulatione Majestas Imperatoris infirmetur aut opprimatur; ut potius eâ quam maximè firmetur & erigatur. *Limmaus l. 1. c. 12. n. 37.* Conceditur enim Imperii perfecta administratio Imperatori demum post latam & datam capitulationem, ut ratio *A. B. t. 2. §. 5.* requirit; Ergò quam antecedit, tollere nequit, at benè cum modificatione transferre. Tandem quoque non legis, sed pacti nomine illa venit, neque obligat invitum ex imperio aut potestate Præscribentium, sed demum acceptantem vi promissionis juratæ. Salva itaque stare nobis hucusque videtur Majestas contra primum adversariorum telum. Pergimus nunc ad excussionem etiam secundi.

#### LXIII.



## LXIII.

In arg. II. negamus per omnia adversariis consequentiam majoris. Non enim sequitur, Imperator non potest condere leges universales; non suscipere bellum; non decernere pacem; non imponere vectigalia; non indicere imperii conventum; nisi adsentiantur vel omnes Ordines, vel ad minimum Electores: Ergo non habet Majestatem. Quod enim Statibus inconsultis nequit, id nihilominus facere potest iis consultis. Itaque licet Imperator ex mutuâ Statuum conventionem ad id obligatus, leges non nisi cum Ipsorum condant consilio, quæ universum concernant Imperium: nihil tamen eo ipso detrahitur Ejus Majestati; in primis cum in ejusmodi actu, potissimas semper obtineat partes, & non solum primus deliberationis capitula proponat, sed primus etiam sancitas constitutiones Imperiali robore & Majestatico nomine confirmet & corroboret.

## LXIV.

Rectissime putamus ergo, nec hodie Imperatoris Majestatem diminui, quando in sanctione legum universalium fidem contractui semel datam servat nihilque sine Procerum consensu constituit, quod ad augmentum universi spectat Imperii.

## LXV.

Sed nec bellum indicit Imperator, nec pacem decernit, nisi adsentiantur Status: id quod tamen infallibile signum atque symbolum est Majestatis. Fatemur. Tantum autem abest, ut imbecillitatis, ut summæ potius prudentiæ hoc in Imperatore agnoscamus argumentum. Imò nec Romæ quondam arma movere licebat, nisi causam Feciales justam pronunciaissent. Quidni & hodie salvâ Majestate suâ Statibus juramento promittat Imperator, se bellum, quod commune omnium discrimen, communes apparatus respiciat sumtus; communi etiam suffragio esse suscepturum. Nihil sanè magis incommoda bellica levat, quam conjunctio animorum; tela namque prævisa minus nocent. Pax quoque cum non ad unius sed omnium salutem atque emolumentum spectet, quid æquius est, quam ut omnium quoque decernatur suffragiis? Quidni, quod omnes tangit, ab omnibus quoque approbari fas sit?

LXVI. Pro-



## LXVI.

Porro, cum vectigalia consultis Imperator exigit Statibus, nonne Majestatem suam eo ipso reddit securiorem, dum omnem sinistrae suspicionis de Se opinionem animis subditorum evellit? Et quid in Ipso tandem hoc est novi aut insoliti, nonne idem & aliis Regibus praescriptum videmus? certe Hispaniarum Rex, etsi maximae apud suos sit auctoritatis, minime tamen tributum sine Ordinum imperat consensu teste *Bod. l. 7. de Rep. c. 2.* Ita Philippo Valeho conventus Gallicos habente, populi rogatione decretum fuit, ne ullum vectigalis genus, nisi consentientibus Ordinibus imperaretur. *Bod. dict. c. 2.* Sic Angli nullum quoque extra ordinem Regibus dant subsidium, nisi belli gerendi causa vel in Galliam trajiciant, vel in Scotiam profiscantur. *Comin. l. 5. de reb. gest. Ludov. XI.* Quid ergo mirum, quod Imperator noster idem facere, conventionis vinculo prohibeatur? *vid. Carpz. de L. R. G. c. 8. s. 1. n. 19.*

## LXVII.

Denique jus quod concernit convocandi ad comitia, scilicet ad formam ipsorum requiri ratihabitionem Electorum: Quis nescit, jam olim Caesares in literis ad Status emissis non rogandi sed cogendi verbis usos esse: *Wir gebieten / heissen und befehlen*; interdum etiam clausulam apposuisse comminatoriam hunc in modum: *Vnd deine Liebe oder Du/ erscheinen alsdann oder nicht / sol doch nicht desto weniger mit den andern gehorsamen Ständen zum beschluß gehandelt werden / und deine L. und du verbunden sein / was also beschlossen / so wohl als ob sie zugegen wären gewesen / zu vollziehen und zuleisten &c.* *Auct. des ausführlichen berichts &c. s. Tract. de Comit. Augusta Vindellicorum 4. Septembr. an. 82. celebratis apud Gold. in den politischen Reichshändeln p. 22. c. 1. in fin.* Tametsi autem hodierni Imperatores hanc jurisdictionis duritiem blandiori temperent alloquio, & inverso nunc modo, rogandi potius quam cogendi utantur verbis, Statusque ad comitia convocandos, non nisi Electorum cum consensu conscribant: ideo tamen non depreciatur Ipsorum Majestas, sed moderatae potius rationis & subactae consultationis condimento temperatur.

## LXVIII.





### LXVIII.

Convertimus verò nos ad resolutionem argumen-  
ti III. Ad illud respondemus, quod falsò inferatur, hunc esse  
comitiorum finem, ut in iis à Proceribus congregatis Impera-  
tori præscribantur leges. Aliam enim res longè habet fa-  
ciem, ubi tanquam summum caput præsidet Imperator, ratio-  
nesque ad consilia Procerum exponit, quibus tranquillitas at-  
que salus fulciatur Imperii: Tunc deliberatione opus est, non  
præscriptione legum, queis adstringatur tanquam inferior à  
Statibus Imperator. Eo ipso autem minimè dubitamus adse-  
rere, si communi tam Imperatoris quàm Statuum suffragio,  
constituantur leges, quæ felix Imperii respiciant incrementum;  
quin iis omnino sit alligatus Imperator, licet non ex imperio  
Superioris; vi tamen & fide conventionis, quam semel inire  
cum Proceribus sustinuit.

### LXIX.

Deinceps quoque constituentem non semper supra constitu-  
tum esse putamus. Alia enim est constitutio, quæ perpetuò de-  
pendet à voluntate constituentis, & tunc non diffitemur, consti-  
tuentem posse dici supra constitutum. Sic Princeps est supra Ma-  
gistratus, quos infra se constituit, ut post se regant populum. Sic  
Dominus est supra servum: sic maritus supra uxorem &c. Illa  
verò constitutio, quæ ab initio tantum dependet à voluntate  
constituentis, postea verò obsequii erga constitutum introdu-  
cit necessitatem; Illa inquam non facit, ut constituens superior  
maneat constituto, sed constitutum collocat supra constituen-  
tem. Tali constitutione Romani olim omne imperium trans-  
tulere in Principem: Tali adhuc hodie suam Imperator nan-  
ciscitur superioritatem: Tali creatur Papa à suis Cardinali-  
bus, & à Capitularibus Episcopus: verum quemadmodum  
olim Romani non erant Principe; ita nec hodie Principes  
sunt Imperatore, Cardinales Papam, Capitulares Episcopo  
superiores.

### LXX.

Quod denique concernit exaustorationem Imperatoris,  
non equidem inficias ire possumus, eam prout olim aliquando  
E processit:



processit : ita adhuc hodie fieri posse. Tantum tamen abest, ut statuamus, Principes atque Status pro lubitu Imperatorem hodie deturbare posse, ut potius id cogitare nefas ducamus & sacrilegium. Et gravissimas sanè oporteret esse causas, quæ fatalem Imperio minarentur ruinam, si earundem æstimatione tale quid contingeret : Neque tamen propterea Electores Imperatore essent majores, sed potius ipsa Capitulatio seu lex fundamentalis, quæ læderetur, & cui Imperator se sponte, uti diximus, subjecit.

#### LXXI.

Ad IV. contra nos argumentum respondemus iterum negando minorem. Dependent enim adhuc hodiè ab Imperatore omnia Germaniæ summa judicia, licet Statuum nomine simul exercentur : utque tantum de Camerali loquar, sanè potissimas in eo Imperator obtinet partes. Solus judicii hujus Caput, videlicet ipsum constituit judicem, eumque suum appellat Judicem. *Reichs Abschied zu Speier d. an. 1570. §. und dieweil nicht nöthig. in verbis Unsrer Cammer Richter.* Quin imò ipsum judicium hoc, passim dicitur Cæsareæ Majestatis judicium ; *Ihrer Majestät Cammergericht. Reichs Absch. d. ann. 1554. §. und wiewohl. & d. ann. 1570. §. dieweil dann ibi an Unsrer Cammergerichte. item der Römischen Königl. Majestät Cammergerichts / Ord. Cameral. d. ann. 1495. & d. ann. 1500. item Summi Principis Consistorium, Gail. 1. Obs. 42. num. 3. & Obs. 84. num. 5. & Obs. 87. num. 9.*

#### LXXII.

Ad V. Argumentum respondemus, nihil facere ad destructionem Majestatis, quod Imperator coram Palatino conveniri possit. Sic enim videmus, quod etiam Galliæ Reges, ut omnem iniquitatis suspicionem à se depellant, æquè ac privati, legibus atque judiciis patriis acquiescere soleant. Atque constat, quod illis Ipsis, à Parliamentis jus dicitur, sic ut nonnunquam causa cadant. *Gothofr. ad rubr. Cod. Ne quis in suâ causâ jud.* Exinde autem Christianissimæ Majestatis candor minimè nigrescit. Quid ni & Aquila ex Imperatoris  
Maje-



Majestate triumphet? Sanè si graviter peccant, qui eam Regibus Galliae negaverint, quòd Parliamentis suis se subjiciant; meritissimo jure & hos crimen maximum incurrere adferimus, qui eam negare audent Imperatori, quod coram Palatino conveniendus sit. Ubi enim eadem militat ratio, ibi jus quoque statuendum est idem.

### LXXIII.


Ad VI. & ultimum argumentum respondemus, distinguendo inter tributum, quod subjectionis jure à subditis præstatur, & pensionem quæ ex conventionem vel pacto servandæ pacis gratiâ exsolvitur. *Bodin. l. 5. de Rep. c. 6.* Quod attinet annuam pecuniæ summam, quam ad conservationem publicæ tranquillitatis, Imperator confert Turcæ; eo sanè stabilitur Ipsius Majestas, non opprimitur. Quod si enim exiguis parcendo sumtibus, Imperii fines cruentis hostium vastationibus corrumpi mallet, citius pateretur Majestas Ipsius naufragium, quam cum hoc modo cordati Principis defungitur officio. Cæterum ipse Turca, Æthiopum Regi atque illis populis, qui ad Arabia montium juga sunt sepositi, ingentem pecuniæ vim tributi nomine quotannis solvere cogitur. Et Ludovicus XI. Rex Galliae, Eduardo Angliæ Regi, pensionem 50000. aureorum annuò Londini solvit: inde tamen nihil Ipsorum decedit decessitque Majestati. Cur ergo non ab his quoque argumentemur ad Imperatorem nostrum?

### LXXIV.

Sed quid nunc tandem amplius? Id scilicet, ut canamus receptui; modo solenni exceptione finiamus cum *CarpZovio nostro in fin. Oper. ad L. Reg. German.* quem aliàs sæpissimè secuti sumus. *Si quid enim dictum sit aut scriptum, quod S. Casarea Majestati derogare; si quid dictum aut scriptum, quod Principum & Statuum Imperij Auctoritatem atque Libertatem imminuere possit, ne dictum esto.* Atque ita dissolvimus quasi triumphantes hunc discursum, dissolvimus, inquam, ipsum gratiis atque precibus. Utrasque soli damus Deo; illas pro ope suâ hæctenus operæ nostræ quam benignissimè communicatâ: has autem pro ulteriori Ipsius gratiâ, qua largiatur, ut hanc, quam rudi Minerva



conscriptimus dissertationem, strenuâ tam animi, quàm  
linguæ defendamus confidentiâ. Ad postremum quoque  
tuum, quicumque specimen hoc nostrum academicum lecti-  
one dignum æstimaveris; tuum inquam, mille votis expetimus  
judicium, nullo autem sinistro præjudicio occupatum. Cogites,  
nos dedisse Cæsari, quod est Cæsaris; & nihil scienter aut con-  
sultò admiscuisse ad alterius injuriam. Si tamen in errore nos  
deprehenderis, putes, nihil humani à juventute nostrâ esse  
alienum; cæterum corrige, non pigebit nec pude-  
bit nos discere.



I.

**G**leich wie der Sternen-Prinz / den weiten Kreis bemahle  
mit schönem strahlen-gold / und alle macht verachtet /  
Die seine macht und pracht / je zu verachten trachtet.  
so steht die Majestät! So wird die Welt bestrahlt  
vom grossen LEOPOLD! von dem / der dieses Rund  
als Keyser wohl regiert / und sich so fest gesetzt  
Zu trotz dem Trotz und Meid / das nimmer nicht verleret  
das Recht der Majestät von Feindes hand und mund /  
noch wird noch werden kan. Diß ist es / daß sein Fleiß  
Herz hatten / uns erklärt / durch hochgelehrte Schriften;  
durch Schriften / derer Kunst und Weisheit Ihm wird stifften  
mit Gott ein ewigs lob und unverwelkten Preis.

Geschrieben  
auf geneigter Affection  
von

Ernst Eberhard Friderich  
und  
Albrecht Wolfgang /  
Gebrüdern /  
Graffen von Hohenloë etc.



## II.

**L**ucida dum sequitur vestigia Patris Aviq;  
 in publicam rem Patriæ;  
 Congeneris genii se præstat noster *ab Hatten-*  
 justum Nepotem & Filium.  
 Quis dubitet, similem Fortunam passibus æquis  
 eum sequuturam probè?  
 Non dubito. Sed nec juvat incepisse: reportat,  
 qui perseverat, lauream.

*Boni ominis ergò*

*Nobilissimo DN. DISPVTANTI,*

*Fautori suo honoratissimo,*

*officiosâ manu*

*applaudit*

PRÆSES.

## III.

**U**ns hat nicht nur ô Freund/die Landsmannschafft  
 verbunden;  
 die treu / so ich an dir und du an mir gefunden/  
 als Straßburg uns ein brod und eine wohnung that/  
 die ist / die uns zugleich ein herz gegeben hat;  
 ein herz / das unverfälscht / und einen willen führet/  
 daß gleiche freud' und lust / von beider ehre spüret.  
 Weil du nun unverzagt des Kaysers Macht beschreibst/  
 und dich durch solche that dem Himmel einverleibst/

E 3

W



wo Fama deinen rühm durch unbegrenzte zeiten!  
mit ihrem nachruff sucht den menschen außzubreiten:  
Als bin ich hoch erfreut und wünsche noch dabey  
daß diß ein ancker dir und grund zur wohlfahrt sey.

Mit hiesigem bewütschete  
den

Herren Disputierenden  
in ansehung vertrauter Freund- und Lands-  
mannschafft

Gerhard Brocktorff, Eq. Hof.

---

IV.

NOBILISSIMO

DOMINO RESPONDENTI.

**M**agnos magna decent: Tu qui jam maxima tractas,  
Maximus ex merito jure, tenere Tuo.  
Arte opus est, opus est magnis & viribus illi,  
tam dignum dignè, qui velit edere opus,  
ceu Tu fecisti docto faustoque labore!

Unde *TIBI* magno gloria magna venit.

*Amico inter paucos dilecto  
applaudit*

Guilhelmus Ludovicus Daser, Illustriss.

Comitum ab Hohenloë &c. p. t. Ephorus.

---

V.

**A**cta licet tacitâ Magnatum mente tueri  
tutius esse putent, judiciumq; suum

Suspens



suspendisse; tamen gaudent Hi rite doceri  
docta per ora Virum, quod varium arbi-  
trium

competat in terris, quæ perveneranda potestas  
in sibi subjectos munere parta DEI:

Vindice quid valeant dextrâ, quæ præmia rur-  
sus

condignis soleant larga referre Viris.

Hoc Proavis fecere Tuis, Tibi tale petenti  
contingat pariter, Fautor, Amice, precor!

*Nobilissimo DN. DISPUTANTI*

*ita apprecatur*

Georg. Andr. Mancinus.

VI.

**W**ohl dir / O liebster Freund! in dem du deinen  
Geist/  
von der gebückten schaar gemeiner Seelen  
reißt/

und dir inn Schrifften suchst dergleichen Ruhm zu setzen  
so keiner zeiten zahn/ kein Todt nicht mag verlesen.

Du schreibst von höchster Macht und unbepfähl-  
ter Hand/

und zeigst der Nach-Welt an/ was Ihr noch unbekand/  
wenn



wenn man des Keyfers Recht in Majestätischen  
gränken/

durch deine Schrifften siehst mit vollen wörden glänzen

Wohl sag ich dir / O Freund! es blühe deine Dier

Vor diese deine pflicht! es wolle dich dafür

Der große Leopold stets allergnädigst kennen/

Ja Selbst dein Fürst und Herz dich rühmens-würdig  
nennen!

Also beglückwünschete Seinen hochge-  
liebten Freund und Untergebenen  
als Disputirenden

*Christianus Thomas.*

---

VII.

**O**mnia prætereunt, nihil est, quod duret in annos  
æternos, quicquid magnus complectitur Orbis:

Quem iuvat ingenuas caput exeruisse per artes,  
doctas mansuræ & curas mandasse papyro;

Huic soli sine morte decus stat Nominis omne.

Quale igitur tempus Tibimet quoque, Fautor amande,  
Nominis & Famæ meritum delebit honorem?

Quippe bonas artes simul & quod cætera doctus  
existas, quemcunque docet satis utpote scriptum,

Scriptum quod refert supremum Jus LEOPOLDI.

Quapropter, cælo dum Sol & Luna micabunt,  
semper honos, nomenque Tuum, laudesque manebunt!

Versus hocce


*Fautori atque Domino suo. maximis modis &  
officiis devinctus offerebat*

*Michaël Röhner,*











ULB Halle  
004 395 050

3



2. T. Verknüpfung


VD17











*V. Hoerger de iure maiestatis imperial. P. G.*

755 23  
1671, 17a

AUXILIANTE SUMMO REGUM REGE  
ATQUE DOMINO DOMINANTIIUM,  
DE  
JURE MAJESTATICO  
IMPERATORIS ROMANO-  
GERMANICI,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI Amplissimi, Nobilissimi & Consultissimi  
DOMINI  
GERARDI von Stöcken / J. V. D.  
atque Instit. Imperial. Professoris celebratissimi, Domini  
Præceptoris & Fautoris omni honoris & observantiæ  
cultu semper nominandi,

PUBLICE  
Die 25. Febr. Hora locoque solitis  
disputaturus est  
HENRICVS GEORGIVS von Hatten/  
A. & R.

ARGENTORATI,  
Literis JOH. WILHELMI TIDEMANNI,  
ANNO M DC LXXI.

